

Forfatter: Brorson, Hans Adolph

Titel: FRIDERICO QVINTO

Citation: Brorson, Hans Adolph: "FRIDERICO QVINTO", i Brorson, Hans Adolph: *Svane-Sang ; Lissabon ; Mindre digte ; Prosaskrifter ; Tillæg : Paul Diderichsen: Filologisk redegørelse. Arthur Arnholtz: Brorsons vers- og sangkunst. - 1956, 1951-56, s. 335.* Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/text/adl-texts-brorson03grval-shoot-workid54385.pdf> (tilgået 20. juni 2021)

Anvendt udgave: *Svane-Sang ; Lissabon ; Mindre digte ; Prosaskrifter ; Tillæg : Paul Diderichsen: Filologisk redegørelse. Arthur Arnholtz: Brorsons vers- og sangkunst. - 1956*



FRIDERICO QVINTO

REGI

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM GOTHORUMQVE

DUCI SLESVICI HOLSATIÆ STORMARIÆ DITHMARSIAE COMITI OLDENB. ET DELMENHORSTÆ

DE REGIMINE ABSOLUTISSIMO A DEO MIRABILITER ET INSTITUTO ET PER TOTUM SECLUM CONSERVATO, INNUMERIS BENEFICIIS CUMULATISSIMO, ET RARISSIMA PACIS FELICITATE ORNATISSIMO

GRATULATUR

REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ

DEVOTISSIMUS ET SUBJECTISSIMUS SERVUS

J. A. BRORSON

Forma novi Imperii Sors est renovata Danorum
Membrorum, Capitis gloria semper erat.
Gaudia, REX! Regni certant & vota Trionum,
Qvæ prius exsuperent, TE præeunte, Polum.
Vivat Amor Patriæ, pacis, pietatis & æqvi
Vive diu Populi SOL, FRIDERICE! Tui.

336

337



PRÆFATIO.

Miraculorum defectum inter alia numerari opprobria constat, qvæ Ecclesiæ nostræ Evangelicæ sæpenumero, sed gratis, objiciuntur. Nam, ut taceam, nec eadem perpetuas esse veræ Ecclesiæ notas, nec vera nostræ plane ignota, sufficit hic monuisse, miracula saltem plurima ad infideles convincendos fuisse patrata; Credentibus autem ipsa Christi Ecclesia summum est miraculum. Sive enim originem, sive statum Ecclesiæ intueamur, quot hic sese aperiunt omnis & miseræ & misericordiæ abyssi? obstupescunt quidem Sensus ad contemplationem hujus Universi, ex nihilo producti, & omnis Eloquentia obmutescit ad hoc summum & nunquam satis admirandum Majestatis Divinæ vestigium; sed hic est coelum in terra, non ex nihilo, sed ipso inferno evocatum. Et quis satis admirari potest maximam Ecclesiæ, etiam hic exulantis, gloriam, gloriosissimi Capitis ejus sive arctissimam cum ea unionem, sive eidem tanquam Sponsæ communicatam, omnis gratiæ & pacis affluentiam respiciamus, qvæ omnia egregie illustrat Paulus Eph. I, 17-23., quo ultimo dicitur Caput super omnia Ecclesiæ, qvæ est corpus ejus, plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet.

Nec minori admiratione dignum est Ecclesiæ, in maximis periculis conservatæ, prodigium; omnia enim miracula excedit navigium Christi, inter scopulos & syrtes tot secula jactatum, teste ipsa etiam omnium cælestium Principum & Potestatum experientia, quibus multifariam Dei Sapientiam per Ecclesiam innotescere Paulus: Eph. III, 10. confitetur. Inter innumera autem specialissimæ hujus Providentiæ mysteria hic imprimis notari meretur, in mediis tentationum flammis adeo non minui, ut potius maxime augeri veram Ecclesiæ felicitatem, ejusdemque lætissimos fuisse dies, quos umbra noctis tristior antecessit.

338

Ex his tenebris ante centum annos piis nostris majoribus illuxit festus ille dies, quo tanquam natali, revivixit dulcissima salus Patriæ. Tale inquam initium habuit seculum, ob in melius mutatam Regiminis formam vere aureum & exoptatissimum, quod Regia Universitas Hafniensis florentissima in applausu suo festivo vocavit Providentiam Dei admirabilem, Exemplum sine exemplo. Symbolum auspiciatissimum DOMINUS PROVIDEBIT, quod non sine omine inter magnos Patriæ motus elegit, & summa vitæ & regni discrimina firmiter tenuit Rex Sapientissimus FRIDERICUS TERTIUS, gloriosissimæ memoriæ, id ipsum inquam Patriarchale dictum, ut ipse in se suaque Domo Regia & regnis mirifice impletum vidit, sic futuris seculis tanquam certissimum

providentiæ Divinæ Præsagium reliquit. Qvis enim ignorat, regnum hoc Monarchicum a duobus FRIDERICIS & totidem CHRISTIANIS, Regum optimis, toto jam seculo ornatum & amplificatum, esse respectu tam originis quam incrementi, totius Septentrionis maximum Providentiæ Divinæ monumentum.

✠ Benedictus autem coram Deo sit Rex noster Augustissimus, FRIDERICUS QVINTUS, *Pater Patriæ* gratiosissimus, qui lætissimo hoc Jubilæo renovatam voluit tanti beneficii memoriam, ut regnum ejus, tam clara providentiæ Divinæ vestigia osculatum, sacro gratitudinis jubilo omnes arctoi orbis plagas impleat. Ob quam summam & Regis & Regiæ domus, & utriusque regni felicitatem, ut aliquo signe gaudium cordis intimum contestarer, non alienum videbatur, *Vexillum Ecclesiæ*, omnis veræ felicitatis & lætitiæ indicem & vindicem, publica hac Dissertatione proponere, ubi in tribus vocibus: *Jehova vexillum meum*, hæc tria observanda veniunt.

✠ 1. Qvis. 2. Quid. & 3. Cujus sit.

✠ ILLUD VEXILLUM.

✠ Ut autem omnia in gloriam Dei, nostramque ædificationem cedant, faxit Pater luminum, gratia Spiritus Sancti per Filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum. Amen.

339

✠ J. N. J. A.

✠ Cum plane singulare & mirum sit Elogium, quod Mosi tribuitur præ omnibus Prophetis Deut. XXXIV, 10. uti & præ omnibus hominibus Num. XII, 3. ante omnia respiciendum est ad ipsum fontem, unde & quomodo tantam hausit animi confidentiam, fortitudinem & æqvanimitatem in omnibus periculis & tentationibus, quem ita ipse declarat: *Jehovah vexillum meum*, i.e. (Paulo interprete) per fidem, - - Ebr. XI, 23. 24. 27. 28.

✠

CAP. I.

✠ Qvis ille sit, quæritur; quem Ecclesia vexillum suum esse gloriatur? Moses vocat illum *Jehovah*. Notum est, hoc nomen, ut nulli Creaturæ communicabile, sic soli Deo proprium esse, & omnibus tribus Personis commune. Quemadmodum autem Deus hoc nomine ab omnibus aliis Diis sese discernit, Ego *Jehovah*, & nullus præterea, præter me nullus Deus Es. XLVI, 9. XLII, 8. Ita Moses ejusdem nominis professione populum Dei ab omnibus aliis gentibus sc. idololatris distingvit, Audi Israel, *Jehova Deus noster, Jehova unus est* Deut. VI, 4. Quia enim ab essentia nomen habet Exod. III, 14. ac idem est, quod apud Johannem: Qvi est, qvi erat, & qvi venturus est Apoc. I, 4. vel 1), qvi ex se ipse est, ens summe perfectissimum, quod non potest non esse, & qvale aliud nullum est, aut esse potest, cui soli omnia alia entia originem & conservationem suam debent; ideo hoc nomine non omnes modo Deos fictitios, ut postea aureum vitulum in pulverem quasi & cineres redigit, sed etiam omnia alia entia in negotio Religionis & fidei plane annihilat. Ita omnem tantæ victoriæ laudem, nec populo, qvi ferro, nec Josvæ, qvi etiam fide, nec sibi, qvi continuis precibus pugnaverant, sed soli *Jehovæ* vult tribui atque totam consecrari; Qvasi diceret: quid homines, etiam maximi, quid nos etiam

* 340

✠ omnes, quid mundus, etiam totus, nisi humus & fumus, pulvis & cinis. Date *Jehovæ*, filii fortium, afferte *Jehovæ* gloriam & fortitudinem Psalm. XXIX, 1. si ille nobiscum, qvis contra nos; Vidisti quidem, Israel, duos maximos hujus veritatis adversarios, *Ægyptum & Amalecum*, qvi de hac confessione nostra disputarunt ore & gladio, sed ecce! quod vivi negabant, morte probarunt.

✠ Damnat itaque se ipsam hodierna illa multitudo tam Atheorum & Naturalistarum, qvi Dei vel existentiam vel providentiam rejiciunt, quam Pseudo-Christianorum qvi utrumque ore professi vita abnegant omnium miserrimi, maximeque detestabiles Jerm. II, 12. 13.

✠ Hoc loco autem per *Jehovah* imprimis intelligi Filium Dei exinde patet, quod illum vexillum suum vocat Moses, qvi Israeli ex *Ægypto* liberato in columna nubis & ignis præivit, per mare rubrum salvum perduxit, manna de cælo cibavit, & ex manibus Amalechi ejusdem nece liberavit. Hunc gloriosum Israelis Ducem fuisse exinde patet, quia ipse vocatur Angelus, *Jehovah* Exod. XIV, 19. 24. quod nomen, summam Messiae tam Personæ, quam officii dignitatem complexum, nulli nec in cælo, nec in terra nisi Filio Dei unigenito competere unquam potuit.

✠ Observandus itaque imprimis hic est Mosis pro divinitate Messiae defendenda Zelus; Præcipuo enim huic Messianæ Religionis articulo factas malignas objectiones ad illud Christi opprobrium pertinere, de quo Paulus Ebr. XI, 26. facile conceditur. Messiae personam sprevit superba Mitzraimi posteritas, utpote ex populo servo

& captivo oriundam, nec quicquam ægrius ferebat, quam regnum ejus, omnibus mundi voluptatibus orbem cunctis ditissimæ Patriæ thesauris præferri, idque a Principe non totius modo populi, sed etiam Sapientum, quem autem ideo mortalium stultissimum atque inertissimum habebat. Certe ??? quem ejus gratia sustinuit Moses, ne ullum quidem, nedum divinum honorem Christo reliquit, sed maximum probrum, quod virulenta lingua in servum ejus fidelissimum Pharaonem eique non magnopere dissimiles servi & subditi conjiciebant. Nec dubitamus ejusdem farinae fuisse Amalechum,

341

☒ qvi deleto Pharaone, ut Josephus libr. 3. Ant. testatur, omnes gentes ad interitum Israelis maturandum sibi associare studuit. Versum 16. nonnulli ita explicant de Deo: Quia manus super Thronum Dei (jurantis) bellum erit Jehovahæ contra Amalechum a generatione in generationem. Alii de Amalecho. Quia manus (ejus) super (vel adversus) Thronum Dei, bellum erit - - - utraque sententia monstrat, gentem hanc Deo maxime infensissimam ac detestabilem fuisse, a Davide ??? ??? hostem Dei vocatam I Sam. XXX, 26. Et certe, quando hæc omnia cum verbis Josephi & mandatis Dei de Amalecho penitus exstirpando v. 14 Deut. XXV, 17-19. I Sam. XV, 2. conferremus, verosimile est, Amalechitas totali Israelitarum deletionem vaticinium de Messia illudere & plane irritum reddere voluisse, eumque & Pharaonem duos V. T. Herodes Magnus & Anti-Christi præcursores fuisse (a). At quid mirum, eas gentes præ omnibus aliis Idololatriæ deditas gloriam Messiaæ despiciatui habuisse; cum idem fecerint ipsi iidem Israelitæ, quos ex Ægypto stupendis miraculis eduxit. Quando enim Num. XXI. 5. dicuntur contra Deum & Mosen locuti esse, id Paulus vocat: eos tentasse Christum 1 Cor. 10, 9. nempe his verbis: quare ascendere fecisti nos ex Ægypto? non est panis nobis, neque aqua. Quasi dicere vellent: O beatos Ægyptios! qvi Deos suos colentes omni prosperitatis abundantia gaudent, væ autem nobis ab eo die, quo Messiaæ regnum tantopere commendatum audivimus, beatum scilicet, cujus Asseclis in Eremo misere vagantibus tandem fame & siti pereundum est. Idem autem, quod Israeli, multis pro dolor accidisse videmus, qvi ex Ægypto Romana dudum egressi in longe periculosiorem tentationis Eremum inciderunt. Et quemadmodum Scriptores dudum observarunt, gentes quo eruditiores, eo majores idololatrias fuisse. Græcia litterarum sedes Deorum myriades habuit, (b) & Ægyptus primo Patrem Chamum, Jovem Hammonem dictum, deinde tauros & canes, vermes & cæpas divino honore mactabat, qvi omnes alias gentes sapientiæ fama superabat, sic illorum infausti Socii videntur, qvi eruditionis præstantia ad solem justitiæ denigrandum abutuntur.

☒ (a) Loc. paral. vid. Psalm. 83. quem Augustinus ad tempora AntiChristi refert. (b) Hesiod. .

342

☒ Sed, quid mirum, quando ratio humana, in spiritualibus cæca, spreta vel obscurata revelatione, Systema Theologicum ex propriis conficit, & ad auctoritatem ei conciliandam tot S. Stæ. Scripturæ dicta misere torquet & lacerat. Exemplo autem sint aliis, quo dementiae procedere possunt optima, & ut vocari solent, divina ingenia, nimirum extincta vel seposita unica salvandarum animarum lucerna Psalm. CXIX, 105. gloriosissimo enim Salvatore nostro æternæ Majestatis, quantum in iis est, coronam detrahere tanto sibi gloriosius ducunt, quanto certius constat, ante se neminem ea id licentia & successu tentavisse. Errorem autem eorum non modo indicat & damnat, sed etiam maximopere auget Scripturæ perspicuitas; Quemadmodum enim omnia ad salutem scitu necessaria clare docet, ita Divinitatem Christi verbis & phrasibus adeo rotundis & lucidis commonstrat, ut ipsa cæli sydera claritate superent. Quomodo enim Scriptura posset esse Regula fidei certa & infallibilis, si, quando toties vocat Salvatorem nostrum Jehovah, ut audivimus, Deum super omnia benedictum in secula Rom. IX, 5. qvi omnia novit Joh. XXI. v. 17. omnia potest. ???, Apoc. I, 8. si non essent id, quod sint, nempe clarissima & splendidissima Majestatis Divinæ testimonia; vel quæ fingi potest de tam aperta veritate dubitandi causa, nisi quæ ex ratione confusa & sibi ipsi adversa depromitur. Nam credere, Scripturam esse Dei verbum, & tamen negare Christo, quod Scriptura ipsi toties tribuit, est contra omnem sanam rationem ratiocinari; Nec superest ullum, ne in Scriptura quidem veritatis defendendæ medium, si summæ sapientiæ nomen sibi vindicavit contra lumen non Scripturæ modo sed etiam rationis obstinata argumentandi licentia.

☒ Non enim nomina tantum & attributa, sed etiam opera Divina Scripturam Salvatore svavissimo eadem, id est summa claritate & certitudine vindicare notissimum est, Johannes, qvi teste Eusebio aliisque, Evangelium contra Ebionem & Cerinthum scripsit, dum divinitatem Christi verbis serenissimis docere vellet, qvi poterat id vel luculentius vel apertius fieri, quam cum non Apostolica tantum auctoritate, id est divina, ostendat, sed etiam stylo maxime emphatico mentibus imprimat; , qvi a principio apud Deum fuit dvs. distincta persona a Patre, esse ipsum

343

☒ Deum, idque non nomine tantum, sed omnipotentem cum Patre Creatorem cæli & terræ, omnia per ipsum facta esse, & sine ipso nihil factum eorum, quæ facta sunt Joh. I, 3. Ubi observandum est, assertionem Apostoli tam affirmativam, quam negativam dvs. omnium maximam, exceptiones & dubitationes omnes excludere, ne minima quidem hæreticis elabendi rima relicta; quod idem loco parallelo maxime emphatico Col. I, 16. observatur; si autem offendat eos adhuc particula , monstrent in tota scriptura exemplum, per

unum vel omnes Angelos sive Archangelos factam esse minimam terræ glebam vel aqvæ guttulam; cum e contrario Paulus, ubi ex professo agit de infinita illa inter Salvatorem nostrum & creaturas differentia, solium (Fili Dei) inquit, tuum, Deus! in seculum & seculum Psalm. XLV, 7. Tu Jehova in seculum permanes & memoria tui in generationem & generationem Psalm. CII, 13 Ebr. I, 8. qvæ verba summam divinam potestatem describere nemo, nisi qvi omnem veritatem, negabit. Imo vero id ipsum ipse Filius Dei in terris non verbis modo testatus est, sed etiam operibus vere divinis. Si non facio opera Patris mei, ne credite mihi, si vero facio, si utiqve mihi non creditis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, qvod Pater in me & ego in Patre, Joh. X, 37.

✠ Hæc paucis monuisse sufficere credo, si non ad errantes convincendos, attamen ad imperitos admonendos; nimirum quanto studio ab hoc labyrintho sibi hodie imprimis cavere oporteat.

✠ Articulum de Divinitate Christi per omnia secula multos adversarios habuisse nulli miramur. Sudes in oculis Sathanæ semper fuit divina potentia ejus, qvi caput serpentis contrivit, Nec alium fore Messiam, quam qvi lapides in panem convertere posset, ipse confessus est, sed ultima hac mundi periodo ut eo plures a fide Jesu Christi ejusdemqve plerophoria impedire possit (Personam enim Mediatoris extenuantibus officium necessario vilescit) Ideo non omnem modo Baratri sed etiam carnis & mundi rationem ad gloriam Christi obscurandam acuit.

✠ Ipse Moses noster omni Ægyptiorum sapientia eruditus Act. VII, 22. docet suo Exemplo satis superqve, artes quidem omnes

344

✠ & scientias laudi Creatoris hominumqve commodo inservituras non habere osos nisi ignorantes. Concedimus! sed deficiente & contempto Dei timore, qvi initium est sapientiæ & omnis cognitionis anima, ratio certe humana a scopo suo eo longius aberrat, qvo magis in scientiis profecisse gloriatur. Si autem cæca in Theologiæ Sanctuarium irrumpat, misceri summa imis & sacra profanis, certum est; Ex hoc enim semine tot hæreseos & naturalismi prorescere lolia, qvorum ætas nostra feracissima est, qvæqve gloriam dulcissimi Salvatoris vel in tantum vel in totum negant, tristissima experientia contestatur. Eo autem majori zelo huic malo, qvod in ipsum fidei fundamentum arietat, & Anti-Christo fenestras omnes & januas aperit, cordati S Stæ. Theologiæ Doctores sese mascule objiciunt; Nec eos terret vel laboris molestia vel multorum offensa, qvoties dulcissimum Ecclesiæ vexillum intuentur. Ardua sane res erat Mosi, populum per desertum, haud secus ac gregem per immanissimarum ferarum latebras, ducere, Qvælibet mutatio loci novi fuit periculi initium. Omnia ruinam minabantur itinere difficillimo vix capris & cervis pervio. Noverat Moses populi genium utriusqve sortis impatientem. Qvot idem molestias, tot Moses timores sustinuit, semper veritus, ne peccaret, vel (ut peccatum fuerit), ne periret. Vidit adversus se, qvem Ducem latronum vocabant, omnes gentes armatas. Sed paleæ erant hæc omnia unico verbulo dissipandæ: Audi Israel! Jehovah Deus noster, Jehovah unus est, noster Jehovah unus nobis sufficit. Hoccine expertus est Amalec, qvi populum Dei, viatores peregrinos aggressus in mucronem vindictæ furiosus irruit.

✠ Jucundum itaqve & omni imitatione dignum est Antistitis hujus exemplum, qvem ante quadraginta annos latebris Pastorum asvetum, jam in omnium gravissimo munere triumphanti similem videre; fortes animi semper sunt humiles, propriæ infirmitatis bene conscii. Qvis ardua munerum culmina proprio dvs. cæco instinctu peteret? quis sanæ mentis pericula, nisi Deo Duce & Auspice, sectaretur? Magni animi est, non magna ambire officia, sed oblata mascule obire.

345

✠

CAP. II.

✠ Sed jam tempus est qvætere, qvid per illud vexillum intelligatur. Ratione Etymi nulla hic est difficultas. a radice ??? vexillum tulit, est ??? vexillum, qvod hic, uti & sæpius, vexillum militare significat Es. V, 26. X, 18. XIII, 2. Jerm. IV, 6.

✠ De vexillis in genere, & præsertim de qvatuor præcipuis in castris Israelis, nempe Judæ, Ruben, Ephraim & Danis in forma Leonis, Hominis, Bovis, & Aqvilæ hic non nihil dixisse, haud abs re foret, si ferret id temporis angustia; Sed festinanti sufficiant, qvæ sponte seqvuntur maxime necessaria. Audivimus supra per vexillum hic intelligi Salvatorem mundi, adeoqve hæc vox vexillum vi comparisonis (1) indicat statum Ecclesiæ in terris militarem. Pacem temporalem, qva inter tot aliarum gentium bello oppressarum lacrymas & gemitus singulari Dei misericordia fruimur, magni facit Ecclesia Christi, semper verita, ne pudendo ingratitude vitio eam amittat, eoqve ardentius amplectitur & osculatur pacem spiritualem, quam Christus nobis cruenta morte comparavit. Cum Sathana autem, mundo & propria carne nec pacem nec inducias novit, sed bellum idqve serium & longe acerrimum, cujusqve respectu corporale, quantumcunqve videri velit, nihil fere aliud est, quam lusus, sive æstum respicias, qvo nihil vehementius, sive finem, qvo nihil, bene si cesserit, lætius, aut e contrario terribilius.

✠ Qvem enim Moses Jehovah Nissi vocat, hunc sponsa indicat dicens. Amor ejus est vexillum super me Cant. II, 4. & monstrat erecti altaris cum hoc nomine harmoniam, nempe cur id erigeret Moses, nisi ut per altare verum Reconciliationis nostræ sacrificium commendaret. Cur autem Jehovah Nissi denominaretur, nisi ut svavissimo hoc alloquio omnes afflictos ad salvatorem invitaret; id quod septuaginta Interpretum versio optime exprimit per ???; Dominus refugium meum; sicut vexillum tribus Judæ, leonis effigiem præferens, ita interpretatur Angelus: noli flere, quia vicit Leo ex tribu Judæ Apoc. V, 5. ita hic Moses per altare crucifixum præfigurando indicat: noli timere Israel, hic est Refugium, hic est vexillum nostrum, hic verum & unicum & certum est attriti cordis Asylum.

✠ Nonnulli quidem cum Josepho Libr. III. antiqv. existimant, super hoc altare Mosen sacrificium obtulisse, sed, tacente Scriptura, exstructum esse puto in signum omnibus visibile, quo Moses ipsis rem maximi momenti inculcatam voluit. Notum est: Mosen non cum omnibus loqui, nec centesimam populi partem vocem ejus etiam maxime elevatam auribus percipere potuisse. Exceptis pueris & mulieribus sexcentis hominum millibus constabat Israelitarum coetus, quorum metandis castris vix duo milliaria sufficerent; ut ergo animi hic in fide triumphantis lætitiā omnium ob oculos poneret, eodem, ut opinor, loco altissimo, quo nuper, dum Josva dimicaret expansis & crucifixi imaginem præfigurantibus () manibus steterat, eodem inquam edito loco, quo ab omnibus conspici poterat, magnum illud altare exstruxit, ut novo facto attentione populi excitata, emissis Præfectis & Nuntiis, magnum redemptionis momentum, liberatione ab Ægypti & nunc Amalechi ungvibus præfiguratum, inculcaret, & miro altaris nomine Jehovah Nissi firmam in Deum fiduciam omnibus ingeneraret, dulcissimum inquam omnis consolationis nucleum, Nam qui Christum fide amplectitur, in ipso omnia habet, nempe ut est dimicanti vexillum, sic esurienti panis, sitiēti vinum, ægrotanti sanitas, langventi robur, erranti via, ignorantī veritas,

✠ () Augustin. de Civ. Dei Libr. X. c. 8. orante Mose, manibus ejus in figura crucis extensis.

✠ morienti vita, e contrario, qui Christum habet, nihil mali timeat, quia Jesus vexillum, Jesus Refugium Ecclesiæ, Jesus petra credentium, quæ omnia complectuntur dulcissimum nomen Immanuel, Deus nobiscum, quod summam fidei plerophoriam excitat, nam si Deus pro nobis, quis contra nos Rom. VIII, 31.

✠ Est autem (3) Jehovah Nissi jucundissimum Ecclesiæ non tantum defendendæ, sed etiam augendæ symbolum & blanda ad gratiam consequendam invitatio; Si enim vexillum militare non subditis modo tutelam promittit, sed etiam submittendis gratiam, multo magis verum est in spiritualibus; quemadmodum enim non tantum ipsa peculiaris hujus populi electio hunc habuit finem primarium, ut ex illo universalis hominum Salvator nasceretur; quo facto, & publice patefacto, omnis prærogativa cessaret; totaque Vet. Test. oeconomia id intendebat, ut, Deum Israelis esse unicum & verum Deum, omnis mundus cognosceret; sicut e contrario eorum (ut nunc Christianorum) impietatis exempla nomen Dei gentibus blasphemandum tradiderunt. Ita huic populo non modo præstita summa beneficia, verum etiam immorigero acerbissima inflicta vulnera, gratiam tam universalem, quam specialiore omnibus gentibus proposuerunt. Quid quod! ipsa crudelissima bella, quibus ferocissimas gentes subegerunt, ad eundem finem omnia tendebant, nec alio sensu vexillum suum Moses hic omnibus gentibus Asylum proponit, quam ut novi foederis præludio Evangelium longe lateque diffunderet. Hoc animo de jam devictis acerbissimis hostibus triumphum duxit Spiritu gratiæ repletus, ex strage Rebellionis, ceu veneno Serpentum, aliarum gentium pharmaca præparaturus.

✠ Objiciunt quidem particularismi fautores, ruinam Amalechi esse absoluti decreti documentum, & vaticinii de Esavo supplantando complementum: Non autem observant, per Amalechum hic non intelligi Esavi nepotem, sed gentis cujusdam longe majoris & vetustioris Parentem, cujus regnum etiam tempore tam Abrahami, quam nunc Mosis floruisse videri potest Gen. XIV. Num. XXIV, 20. Mandatum autem Israeli cum Esavo consortium monstrat ex gente hac non fuisse illum Amalec, cui hoc

✠ penitus interdictum fuit. At eos imprimis movet denegatum hoc Consortium cum populo Dei, quod esse signum absolutæ Reprobationis autumant, non considerantes, illos Ægypti vicinos, auditis stupendis ibidem patris miraculis, non sufficientem modo sed etiam abundantem vocationis gratiam habuisse. Iis autem non flecti, sed furiosis similes sese Deo opponere, innocentes autem & debiles in populo non tam vi armorum, quam fraude opprimere indubium fuit omnem gratiam respuentis animi documentum. An hoc autem Universalem gratiam tollit, quando Deus ejusmodi refractarios & in tanto furore perseverantes castigare & e medio tollere cogatur? At tunc demum maxime triumphat gratia universalis, quando iis locis, quæ huic universalitati opponuntur, immobilem ejus veritatem stabiliri videmus. Sic etiam Jehova Nissi non scriptum est contra Amalechitas, nisi in quantum oblatae gratiæ adversabantur dvs. ut verbis Scripturæ utar, quamvis manus eorum erat adversus Thronum Dei; sed hoc ipso verbo, nempe vexillo, quot superstites erant, non minus quam omnes ceteræ gentes ad Deum Israelis agnoscendum alliciebantur. Ita certe Mosen explicatum

voluit Esaias Cap. XI, 10. Monstrato enim, per vexillum meum, quod vocat populorum, intelligi Messiam Isai Radicem, indicat emphasin vocis dvs. universalitatem gratiæ in Christo, eum, inquit, inqvirent gentes, & reqvies ejus (pax & securitas sub ejus umbra gentibus promissa) erit gloria, id est, status non dulcis modo, sed etiam maxime gloriosus, adeo ut sese ad summam filiationis evectos ovabundi confiteantur: quasi dicerent: O svavissimum omnis gratiæ Patrem, omnes peccatores se gremio misericordiæ excepturum tot promissionibus & juramentis, imo mortis unigeniti pignore contestatum. O dulcissimum mundi Salvatorem, mundi inqvam universi Principem salutis, ad qvam impetrandam sese in cruce vexillum gentium erigi non fuit dedignatus. O æternum & immensum gratiæ flamen & flumen Spiritum Sanctum, qvi se in omnium corda emitti, & vehiculo verbi effundi desiderat. Et O! beata corda, qvi in hunc gratiæ pelagum sese totos ingurgitant.

✕ Sed cum nunqvam satis deplorari possit, tantum tam universalis gratiæ æstum a plurimis negligi, vel summo haberi fastidio,

349

✕ ita nihil magis pias mentes torqvret, qvam hanc mortalium ingratitude, resistantiam & , unicum salutis consequendæ impedimentum, ad gratiam universalem, horribile dictu! denegandam a particularismi auctoribus inverti, quod summum humani generis scandalum facile evitarent, si verbo Dei clarissimo, sanctissimo, fidelissimo, non autem rationi miseræ, marcidæ & mutilæ & ad abyssum Divinæ oeconomiae perscrutandam ineptæ fidem habere vellent, vel saltem cavere, ne quid contra sanam rationem de Deo, ipso amore, decernerent.

✕ Sed eo magis gratiam Dei dulcibus hymnis confiteantur, qvotqvot sub amoris ejus vexillo delitescunt, dicat columba in ruptura petræ: diligam te Jehovah! petra mea & arx mea, & me eruens Deus meus, fortitudo mea. Sperabo in te, scutum meum & cornu salutis meæ, elevatio mea Psalm. XVIII, 2-3. Qvinam autem sint, qvi sub hoc omnis gratiæ vexillo securi & contenti esse possunt, ex jam sequentibus patebit.

✕

CAPUT. III.

✕ Vexilli nostri securitate ac tegmine nulli nisi præsentibus & sequentes fruuntur, qvi vocantur populus Dei, vel ecclesia, qvæ vi vocis est evocatio vel coetus a communi irrogenitorum agmine evocatus, qvi verbum Dei audit & sacramentis recte utitur. Sed qvi distingvi solet in visibilem & invisibilem seu in coetum, in quo est & qvi est Ecclesia (ut Gerhardus id apte satis explicat conf. Libr. 2. art. 5. p. 804.)¹⁾ ita hanc distinctionem luculenter monstrat Paulus in ipso hoc populo, cui Moses vexillum salutis ostendit: Non volo vos ignorare fratres, quod Patres nostri omnes sub nube fuerint, & omnes per mare transierint & omnes per Mosen baptizati fuerint in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem comederint, & omnes eundem potum

* 350

✕ spiritualem biberint, bibebant enim ex spiritali comitante petra, petra autem erat Christus. At non in pluribus illorum complacuit Deo, prostrati enim sunt in deserto, hæc vero Typi nostri fuerunt 1 Cor. X, 1-6. Qvodnam autem magnum illud mysterium fuit, quod eorum nonnulli tantum habebant, & ob id ipsum Deo placebant, id Paulus alibi vocat mysterium fidei 1 Tim. III, 9. hoc mysterium continet verbum Mosis: MEUM, quod est minima tantum vocis particula, at in tantillo apice latet magnum illud mysterium, sine quo omnia, qvæ de Deo & Messia dicuntur vel promittuntur, quo gratiosiora & gloriosiora, eo sunt terribiliora: Beati autem, qvi vera fide dicere possunt: Pater meus, Salvator meus, justitia mea, pax mea, gloria mea, vexillum meum. Ad hanc fidei certitudinem, in corde auditorum accendendam, non dicit vexillum nostrum vel populi, quod tamen in verbis ejus latebat. Mosen enim voluisse totum populum, non se solum, sub hoc vexillo servari, indicavit eo die, quo promittebat Deus, se illum magnum populum facturum, modo rebellem perderet, Moses e contrario e libro ejus deleri optat, si quid tristius populo accideret Exod. XXXII, v. 32. Sed ideo dicit vexillum meum, ut proprio exemplo unumqvemque ad individuaalem applicationem excitaret. Hanc autem non omnes habebant, alias eremus illa horribilis in Paradisum mutata fuisset, & qvomodo præ gaudio exsultasset anima Mosis, si tot Sanctorum Myriades in itinere habuisset comites. Sed proh dolor! non multi nec plurimi nedum omnes credentes fuerunt; vexillum seqvebantur corpore, non animo, corda in terra Ægyptiorum remanebant, nec ab iis multum differebant, nisi tempore, genere & loco sepulturæ, ut illis nempe in mari, sic his in deserto paratæ. Aversum a Deo animum omni occasione indicabant, & rebellionis abominatione ipsum Pharaonem multi æqvare, nonnulli superare videbantur. Qvemadmodum etiam multos adhuc habet Ecclesia malignos hostes extraneos, sed intra moenia periculosissimos.

✕ Ast ut incredulitatis illorum signa sunt odium, & dissidia, ita verus Israelis character est intimus amor, & inde fluens animorum concordia sub uno vexillo contra eundem hostem, eadem militantium fide. Ejusdem etenim hic est periculi & præmii consortium iis, qvi tanqvam cives foederati pro vita, pro libertate,

✠ pro patria nempe spirituali & cælesti dimicant; & amor, qvi illos sociavit, est admirabilis illa Dei Philanthropia, qvæ miseris nobis mortalibus erexit vexillum, Agnum nempe Dei pro nobis omnibus in ara crucis mactatum. Ita animati non erant omnes; sed veri Mosis & Prophetarum Discipuli, dicti: Dei Israel, populus Dei, peculium. Vera, victoriosa & Israele digna progenies, tanti Herois non degeneres filii, qvi, jugo Ægypti infernalis abjecto, crucem amplectendo omnium Patriarcharum & Prophetarum patriam diesque noctesque unanimiter anhelabant.

✠ Talis imprimis erat facies populi sub ipso Novi Testamenti exordio, ad hoc nempe unice qværendum, toti Ecclesiæ fuit unum cor, & una anima Act. IV, 32. Miraculi instar erat, tot hominum millia, nec consangvinitatis vinculo, nec conditionis æqualitate, nec officii consortio, sed solo Christi amore unita, videre. Obstupuit omnis admiratio ad contemplandum hanc Ecclesiæ communionem, nec vi compactam, nec dolo tritam, sed cælo dignum veræ fidei documentum; ubi nimirum militantis fuit triumphantis, imperfecta qvidem, vera tamen & jucundissima imago.

✠ Sed quid mirum, floruisse vineam a tot optimis Christi servis plantatam atqve rigatam. Magnum fuit vidisse in eremo Mosen, Dei Servum in tota ejus domo fidelem, omnium Prophetarum Doctorem, qvem in ruptura stantem omnem Dei iram avertisse, ipse Spiritus Sanctus testatur Psalm CVI, 23. sed quid dicemus de primis Novi Testamenti testibus, longe majori Evangelii claritate illuminatis, de 70 Evangelistis & aliis multis Evangelii præconibus, omnibus Spiritu Sancto repletis, imprimis, de Salvatoris duodecim Apostolis, quos ipse Salem terræ & lumina mundi vocavit; Qvi ipsum toties oculis suis conspexerant, mellifluo ejus colloquio & consortio tam diu usi, qvi immensum Dei amorem ipsis tam blande patefecit, & passione ac morte omnium acerbissima comprobavit.

✠ Hæc & reliqua summi amoris mysteria miro charitatis affectu indesinenter inculcata, ut flamma cælestis omnes animas non rebelles corripuerunt tantoque fidei & amoris ardore impleverunt, ut etiam hostes suos dilexerint, se ipsos autem invicem, ut filios

✠ Dei & cohæredes filii, in ipso impensius amaverint, eoqve minor erat interventuræ formido offensæ, quo major mutui fuit amoris æmulatio. Qvæ docendi dexteritas tanto exemplo armata svavissimum Christi regnum per totum orbem dilatavit, nec illis viventibus ulla latius serpens concordia tabes animadversa est, nec superstite viva vitæ eorum & cruenti Martyrii memoria; Effusum enim confessorum sangvinem & numerum & ardorem Christianorum auxisse, omnis aureæ hujus ætatis historia testatur.

✠ Et hoc hujus loci palmarium est, ut ad exemplum Mosis, Prophetarum, & Apostolorum Doctores in Scholis & Ecclesiis ad hoc gratiæ vexillum vera fide intuendum, ea, qva par est, devotione, omnes excitent. Hoc sensu Paulus dicitur portasse nomen Jesu ante Reges & gentes & filios Israelis Act. IX, 15. Hoc animo omnes vult respicere in fidei Ducem & Consummatorem Jesum, qvi pro gaudio sibi proposito sustinuit crucem, inqve dextra Throni Dei consedit. Ebr. XII, 2. Hoc respectu Ministri verbi primitivæ Ecclesiæ vocabantur signiferi, ita nempe Præfectus Asclepiades Martyrem Romanum apud Prudentium p. m.1) 146. alloquitur:

✠ Infame monstrum, vilis instabilis tu ventilator & vulgi levis procella - - - & porro

✠ Hoc tu parasti perditæ spectaculum
cladis cruentæ de necandis civibus
qvos ut profani impiati & seculi
reos necesse est te magistro interfici
Tu causa mortis, tu malorum signifer,2)

✠ ubi non miramur, Ecclesiarum primipilos metam maximi furoris certissimam fuisse, sed ipsos præ summo in auditores amore omnem persecutionis impetum in se solos non raro convertisse. Beata certe sanctæ legionis castra tantis Ducibus & Signiferis

✠ illuminata, quo tempore juxta Sulpit. Sever. ibidem p. m. 143. certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoqve avidius tum martyria gloriosis mortibus qværebantur, quam nunc Episcopatus pravis ambitionibus appetuntur, Sulp. Sev. p. m. 1431).

✠ Qvomodo langvescentem paulatim hunc primum amorem æmulatio penitus exstinxit, qvomodo ministerium reconciliationis prima rixarum semina sparsit, cujus antea non aliud, quam mutui amoris & benevolentia certamen innotuit, qvomodo, vallo veritatis & concordia dejecto, hæreses & schismata, fluminis instar erumpere & omnia inundare coeperunt, qvomodo, relicto vexillo, turbati animi tot viis dissipantur, qvot vel cæca obedientia vel studium partium vel omni peste pejor ambitio traxerit, hæc materia satis nota & prolixior est & tristior, quam ut tempori sive præsentis brevissimo sive futuro

solennissimo inservire possit.

☒ Sola tamen ejus mentio non potest non admonere omnes fideles maximam perseverantiæ necessitatem, qua cessante, non modo nulli usui, sed majori semper damno & ignominia fuit omne pietatis studium.

☒ Sal fatuus sunt Matth. V, dvs. qvi antea omnem morum putredinem arcebant jam omnibus piis nauseam movent, canibus & porcis similes, qvi ad vomitum suum & volutabrum redeunt 2 Petr. II. Vexillum nostrum hanc doctrinam maxime urget, & acuit; Quid enim transfuga detestabilius in mundo coram civibus suis? multo autem magis, qvi vexillum crucis fugiendo in castra hostis se conjiciunt, æternæ condemnationis mancipia. Non autem vexillum tantum exigit, sed etiam excitat & auget perseverantiam, in mediis flammis vincit agmen Dei, qvamdium vexillum intuentes illud strenue seqvuntur. Audivimus sponsam dixisse: Amorem Christi esse vexillum Cant. II. Sensus autem est, hunc semper, ut vexillum, intuendo, per saxa seqvor, per ignes & aqvas, amantissimum. Omnia valeo per eum, qvi me confortat,

* 354

☒ Christium Phil. 4. de qvibus verbis eleganter Bernhard: Qvidni, inqvit, omnia possibilia sunt innitenti super eum, qvi omnia potest? qvantæ fiducia vox: omnia possum in eo, qvi me confortat? nil omnipotentiam verbi clariorem reddit, qvam qvod omnipotentes facit omnes, qvi in se sperant. Deniqve omnia possibilia sunt credenti Marc. IX. Annon omnipotens, cui omnia possibilia sunt? ita animus, si non præsumat de se, sed si confortetur a verbo, poterit utiqve dominari sibi, ut non dominetur ei omnis injustitia Psalm. CXVIII. Ita, inqvam, verbo innixum & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem, (b) Notum est Romanas variis cognominibus distinctas fuisse legiones, habuerunt nempe pias, fideles, fulminatrices, victrices. Boni autem milites Christi meliori jure dicuntur non modo pii & fideles, fulminatrices & victrices,1) sed etiam soli invincibiles, id est, qvos (Rom. VIII, 37-39.) neqve mors, neqve vita, neqve Angeli, neqve principatus, neqve virtutes, neqve instantia, neqve futura, neqve altitudo, neqve profunditas, neqve aliqua Creatura alia separabunt a dilectione Dei, qvæ in Christo Jesu Domino nostro, cui eapropter cum Patre & Spiritu Sancto sit omnis gloria, laus & honor in secula seculorum, Amen.

☒ Hoc sub VEXILLO vivat Stirps Regia, regnum:
Vive PATER PATRIÆ! jubilat omne tuum.

☒ (b) Bernhard sup. Cant. p. m. 184. Column. 4.2)

** 355

☒ Teologisk afhandling om

☒ KIRKENS BANNER

☒ 2. Mos. 17, 15,

☒ til minde om den eksempelløst store guddommelige forsorg,

☒ hvorved

☒ Den højkongelige dansk-norske Majestæt

☒ den 16. okt. i året 1660

☒ efter at være ophøjet til enevælde og største lykke

☒ gjorde den bedste begyndelse på et gyldent århundrede,

☒ ved selve den højtidelige fest

☒ den... okt. i året 1760,

☒ som

☒ vor ophøjede konge,

☒ FREDERIK DEN FEMTE

☒ FÆDRELANDETS FADER,

☒ har ønsket helliget til lov og pris for så stor en guddommelig nåde,

udgivet af

HANS ADOLPH BRORSON

biskop over Ribe stift.

København, trykt hos Andreas Hartvig Godiche.

* 356

Må trykkes.

Til bekræftelse ifølge det teologiske fakultets protokol.

Hans Otho Bang, dr.

357

Den ophøjede monark,

fædrelandets fader,

den berømmeligste, allernådigste

FREDERIK DEN FEMTE,

konge

til Danmark og Norge, de venders og goters,

hertug til Slesvig, Holsten, Stormarn og Ditmarsken,

greve til Oldenb. og Delmenhorst

lykønskes

til den enevældige regering, som af Gud underfuldt

både er indstiftet og gennem et helt århundrede bevaret,

overøst med utallige velgerninger og prydet med den sjældneste

fredens lykke,

af DERES KONGELIGE MAJESTÆTS

mest hengivne og allerunderdanigste tjener

H. A. BRORSON

Den nye regeringsform er en fornyet skæbne for danskerne; hovedets ære var altid lemmernes.1) Rigets glæde, o konge, og Nordens bønner kappes om, hvem der først med dig i spidsen kan overvinde himlen. Leve kærligheden til fædreland, fred, fromhed og retfærd!

Lev længe, Frederik, som dit folks sol!

* 358

359